



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 127. Palatinus Cracoviensis sese Regis inaugurationi opponens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI
A.C. 1574

ximi momenti negotium absolveretur, inopinatus eventus vix non omnia hucusque agitata evertere videbatur; cum enim Gnesnensis Archiepiscopus peracta re divina consuetas preces in medio chori, ubi Rex in sublimi throno confidebat, fundere parabat, Cracoviensis Palatinus repente exurgens hunc in modum perorabat.

§. CXXVII.

Palatinus Cracoviensis sese Regis inaugurationi opponens

Thuan. l. c. „Necquaquam, ajebat hic Palatinus,
„ita fiet, sed notum omnibus esse
„volo, quod ego vos alloquens, omnes-
„que hic præsentis liberi simus, nec
„unquam permittamus, quatenus fla-
„gitioso silentio id agatur, ut deinceps
„velut mancipia perpetuo serviamus, ac
„justa tot Procerum vota, ac tot æqua
„postulata Rex frustretur, & ea, quæ reli-
„gione promisit, exequi recuset: enimve-
„ro conditiones propositæ in Regis ad-
„ventum remissæ sunt: porro nunc ille
„advenit, & tamen jam collatis omnibus
„regiæ dignitatis in ipsum ornamentis,
„de his promissis ejus nomine factis al-
„tum silentium: hinc non patiar ultra rem-
„differri, nam aut accipiendæ sunt con-
„ditiones, & in eas verbis conceptis
„jurandum, aut me huic inaugurationi
„ill-

Sæcul. XVI.
A.C. 1574.

„intercedere ajo, ac palam profiteor.„
His dictis murmur toto templo, ac fre-
mitus obortus est: quinimo cum auda-
cia cresceret, etiam minaces, & con-
fusæ seditioni propiores voces auditæ
fuerunt, ubi Pibracius propius Regem
accedens, quædam submissa voce eidem
suggerebat: mox vero ad Archiepisco-
pum conversus, ut pergeret, suumque
officium sine cunctatione perageret,
Regis nomine imperabat, subjungens,
Regem de ceteris ex ordinum senten-
tia postea decreturum. His verbis Ar-
chiepiscopus libentissime paruit, & cœ-
ptæ inaugurationi institit, quæ detu-
mescente paulatim furore, & succeden-
te in ejus locum pænitentia, ac pudore,
spectantibus iis ipsis, qui contradi-
cebant, magno cum applausu peracta
est, unctoque Rege corona capiti ejus
de more imponebatur: Cracoviensis
vero haud multo post firmata Regis
potestate an ex mærore, aut fato suo, in-
certum, decessit.

§. CXXVIII.

*Tumultus a Protestantibus Alençonii
indignatione suffultis in Gallis
suscitati.*

Interea res in Francia haud adeo pro-
spere succedebant, hæreticis non nisi
novos tumultus ibidem excitare inten-
tis;